

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Nicodemi Frischlini Balingensis ... & M. Georgii Pfluegeri
Ulmani, Virorum Clarissimorum, Methodus Legendi
Historias Expedita, Nova, omnibus in Historia versantibus
opido quam necessaria**

**Frischlin, Nicodemus
Pflüger, Georg
Keckermann, Bartholomäus**

Lipsiae, 1630

De locis communibus in generes et in specie de historicis redte
concinnandis

[urn:nbn:de:bsz:31-107405](#)

DE LOCIS COMMUNIBUS IN GENERE; ET IN
SPECIE de Historicis re-
Etè concinnandis,

E P I S T O L A.

Scripta ad Amplissimum & Specta-
tissimum Virum Dn. Gualderum ab Hol-
den, Inclytæ Reipubl. Dantisea-
na Senatorem:

In qua

Clarissimi Viri Johannis Bodini de Locis Communib[us] Historicis instituen-
dis sententia expeditur.

A M P L I S S I M E V I R;

Cum pro tua benevolentia
me ad propugnaculum, quo maris
ostium Patria nostra munit, non ita
pridem duceres, & Vistulâ unâ ve-
beremur, sermones fallendo itineri habebas
varios, indices apud me eximia doctrinæ tuae &
H 6 multi-

multuplicis lectionis, & memoriz insuper felicissima. Aperiebas ibi tum celebratissimam illam, quam via comitem esse volueras, Iohannis Bodini Methodum Historicam ; ex cuius cap. 3. verba legi jubebas ea quibus consilium suum exponit de instituendis communibus, ut vocant, Historiarum locis ; de quibus, quid sentirem, & qualiter consilium illud certo quodam fructu usurpari posse existimarem, ita tum ex me quererbas, ut si minus in itinere sententiam meam prompte dicere vellem, aut possem, cogirandi tempus aliquid etiam longiusculum indulges. Ego eti Bodini consilium illud ante considerasse; tamen cum ob valetudinem gravorem cogitationes ibi meas satis mihi videret expedire non posse, moram, quam largiebaris, lubenter accepi : eam, si longiorem exinde traxi, quam vel ipse volebas, vel ego promiseram, veniam mihi despondeo ab eodem illo affectu tuo, cui sane nunc confisus judicium meum dicam apud te, qui Historiarum totius peritior longe de re tota potes & judicare certius, & differere prudentius.

Ac principio quidem id Doctorum hominum consensu magno constat, *Locos Communnes necessarium esse & doctrinæ omnis apparatum,* & memoriz labentis subsidium ; sed qualiter si concianandi, quâve forma & Methodo, id vero

& plim

& olim & nunc à multis anxie queritur. Et est sanè magna hie consiliorum ac sententiarum apud doctos tūm varietas, tūm discrepantia, ita ut non paucos hodie audias excellentes viros, & scriptis etiam publicis clarissimos, qui ita sentiant, Locorum Communium concinnandorum certam quandam ac statam viam nullam ostendi posse; sed esse eam operam privato cuiusque arbitrio & consilio relinquendam. Quam quidem ego opinionem probare propter eas nunquam potui, quod Locorum Communium collectio artis opus sit, ars autem certa quid est, & unum, & constans; arbitrium contra privatum & vagum & vartum & propè infinitum: Aut ergo certa est & unica Locorum communium methodus, aut non est ea artificiosa & solers opera; si autem artificiosa non est, utique vel natura id opus erit, vel fortuita cuiusdam temeritatis, quod neutrum scio, admittent viri eruditii. Sunt enim Loci communes nihil aliud, quam doctrinæ omnis liberalioris velut summa quedam capita & tituli partesq; summatim & breviter designatae: Quare, ut doctrina omnis Methodo certa & artificiosa constat, ita & Loci communes, nec alia erit Locorum communium forma & Methodus, quam ipsius doctrinæ, cuius ista sunt capita & tituli. Quæ, si vera sunt, ut sanè puto

esse verissima, concludo jam inde, & certam de
Locis Communibus concinnandis sententiam
velut ex ordine confignans ita statuo: sicut non
est una quædam communis omnis eruditæ do-
ctrinæ & disciplinæ Methodus, sed sua cuique
peculiaris & distinctæ, ita non esse instituen-
dam communem quandam ac generalem Lo-
corum communium colligendorum viam atq;
ordinem: Et eos, qui ingentia illa & tricubita-
lia volumina & Tomos consuunt, quibus quic-
quid legunt, vel indice Alphabetario, vel ali-
quo arbitrario & tumultuario ordine, velut in
Locos communes conscribant, Herculeum qui-
dem labore sumere, sed inanem; sed tales
quo chartæ miserè prodigatur, ingenio vero, &
judicio, & memoriz malè eatur consultum. Ut
enim hortulanus, qui spatiolum aliquem &
amplum hortum culturos est, si omnis generis
frutices, arbores, herbas olera inter se confu-
se conserit, nullis certis spatiis, nullis areis di-
stingvit, ingentem quidem laborem sustinet,
sed ita, ut nec fructuosum, nec pulchrum, aut
amoenum hortum sit habiturus; ita etiam illi,
qui promiscue omnem doctrinam Theologi-
cam, Philosophicam, Politicam, Historicam sub-
unam Locorum Communium Methodum
confuse congerunt, non prosunt ingenio & me-
moriz, qui esse debebat talis operæ finis; sed

vehe-

vehementer nocent utriq;. Qui enim dextrum
 & regulatum iudicium ibi esse possit, ubi est
 confusio doctrinarum? qui queat memoria ju-
 vari & firmari, ubi nulla est antecedentium &
 consequentium connexio? ubi vel planè non sis
 repertorus, vel reperturus difficulter & ægrè
 quid in memoriz subfidium connotaras. Ut
 enim omnis ordo bonum quid est, & constans,
 & certum, & utile; ita confusio malum quid, &
 incertum, & inutile, immo noxium. Unde jam id
 porrò conficitur: Locos Communes ita distin-
 gvidenos esse, ut singulis disciplinis singularē
 Locorum Volumen attribuimus, & juxta spe-
 cialem cujusque disciplinæ Methodum, capita
 & titulos eodem ordine disponamus, quo illa
 ipsa disciplina dextre docetur & discitur. Sic
 nempe Theologia suos habebit distinctos Lo-
 cos, habebit Jurisprudentia, habebit Medicina;
 quia harum, ut vocant, Facultatum quævis uni-
 cam suam habet omnium materiarum Metho-
 dum; Philosophia verò tot habebit Locorum
 Volumina, quot in se disciplinas, & disciplina-
 rum Methodos, sive Systemata complectitur;
 distinguuntur Loci Physici à Mathematicis,
 prout hæ ipsæ inter se disciplinæ distinctæ sunt;
 & secernentur loci Ethici ab Oeconomicis &
 Politicis. Grammatica quoque, Rhetorica, Poe-
 tica, & Logica tanquam superiorum faculta-
 tum

tum & Philosophic instrumenta suos habeant peculiares locos, eadē nimirum Methodo dispositos, quā illæ ipsæ artes traduntur.

Qui ita Locos Communes instituunt, uti & judicium dextre de Materiis informabunt, & scientia, quorsum proprietate per se atq; ex natura ipsa quidlibet pertineat, sic & memoriam & recordationem mirificè jocabunt concinno illo atq; ultrò se dant̄ antecedentium, & consequentium nexu, & reperient facillimè, quod longo ante tempore in Locos Communes descripsérant.

At vrrō, excipiat aliquis, si ita Locorum Communium dispositio dirigenda sit ad Methodum trium superiorum Facultatum & Philosophie, quorsum consignanda fuerint ea, quæ ad manuarias artes, quæ ad agriculturam, ad architectonicam, ad mercaturam pertinent? quorsum ea, quæ de pistoribus, de coquis, de fabris passim in Authorum scriptis leguntur! Est & de talibus expeditum confilium: Nam prīmō pauca admodum sunt, quæ trium Facultatum & Philosophie Studiosi de ejusmodi rebus cibunt annotare, eaque tantum communissima & generalissima, quæ sane ad titulos disciplinarum fine illa Methodi perturbatione possunt referri. Agriculture enim titulus, qui primus nominabantur, ad Oeconomicam disciplinam com-

modif.

modissimè refertur, ut potè in qua modis acqui-
rendæ rei familiaris traduntur, & Patriæ familiæ
commendantur diligenter ab Aristotele, qui in
priore statim libro Oeconomicæ sue de agri-
cultura, &c; pastoritia tractat. Idem de merca-
tura statuendum, quæ & ipsa ad eam Oecono-
miae partem rectissimè refertur, quamvis & in
Politica disciplina ei locus possit dari, quaten-
us est medium amplificanda & distendenda Re-
publicæ cum primis necessariis. *Pistoria &*
Cogninaria titulus itidem ad Oeconomicam re-
fertur sive illa difficultate, quod etiam fa-
ctum ab iis est, qui libros Oeconomicos ha-
bitate ediderunt. *Architectonica* partim ad Ma-
thematiæ disciplinas referri potest, partim ad
Politicam, ut potè in qua de condendis urbibus,
palatiis, arcibus quoque pertractatur: *Nautica*
verò, si qua legentur, partim sub titulo merca-
turi consignari possunt, partim verò, ad eam
Politice partem notabuntur, quæ de bello ejus-
que instrumentis tractat; navium enī hic ge-
niinus finis est, ut vel mercaturæ serviant, vel
militia. *Quod si* verò quis generalissimis illis,
quæ sola viri docti annotare, ut plurimum so-
lent, non velit aut possit esse contentus, scq; iis
artibus ex professio dedat, & cupiat esse vel agri-
cola, & hortulanus, vel architectus, vel merca-
tor, si quidem rectius consuli non potest, quâne-
ut fin-

ut singulare quoddam Locorum Communium Volumen distinet iti arti , quam vult tractare ; exempli gratia , agriculturae aut mercatoriae , atque ita plane , ut diximus , faciendum esse in superioribus Facultatibus & in Philosophia , certam artis Methodum constitutus , secundum quam summa ejus capita & titulos materiarum per Locos communes disponat .

Quibus quidem ita præmissis , non difficulter existimo , statuetur de Locis Historicis , in quibus colligendis id ante omnia considerandum fuerit ; Historiam nihil esse altud , quam narrationem exemplorum , qua nimirum certo loco , & tempore , & acertie venerunt ; sive , ut Verrius Flaccus definivit , diffusam narrationem , in qua rerum , personarum ac locorum momenta ponderantur . Exempla autem nihil sunt aliud , quam generalis doctrina & regularum universaliū specialia symbola . Quare cum doctrina & regulæ non unius sint generis , non unius formæ aut Methodi , sicut ante ostendebamus , tuncdem erunt exemplorum diversa genera & classes , quot sunt disciplinæ , quibus omnis diuina & humana doctrina methodice explicatur . Unde jam non difficulter intelligitur id , cuius gratia hæc nobis tota de Locis Communibus suscepimus quæstio , qualiter nimirum in Historiis adorandi sint Locis Communes , ita nimirum , ut singulis

dissi-

disciplinis singula designentur Exemplorum. Historicorum Volumina, quibus tituli Historici describantur secundum istius disciplinæ Methodum. Itaq; primum Volumen *Historicum erit Theologicum*, in quo secundum Methodum eam, quæ ipsa Theologia dextre traditur, Capita continentur. & indices materiarum & Regularum Theologicarum, ad quas Historia Sacra sive Ecclesiastica exempla ordine referantur. In Iurisprudentia idem faciet Jurisconsultus. In Medicina Medicus, qui secundum suæ facultatis Methodum speciales casus & exempla notabunt. Faciet idem Philosophus, qui tot constituit in locorum Communium Volumina, quot Philosophiaæ ambitu discipline continentur, vñpicio quibusdam Metaphysica & Mathematica capitibus, quæ ejusmodi Historicorum exemplorum capacia non sunt.

Quod si autem strictè magis ac propriè Historiam sumere velimus, referenda es fuerit potissimum ad disciplinas, quas vocant, *Prædictas*, in quibus nimis de virtutibus & vitiis regulæ traduntur: Virtutes autem sunt vel Theologie, sive Ecclesiastice, vel Ethicæ, vel Oeconomicæ, vel deniq; Politicæ. Et si sane, qui hodiè honorificum illud *Historicum* nomen obtinent, tribus postremis istis, Ethicis, Oeconomicis & Politicis exemplis in primis sunt

funt dediti; & Politicis quidem, ante omnia
ut potè quorum maximus est præclarus ac con-
spicuus quidam in vita humana usus, apud eos
præsertim, qui in Reipubl. luce versantur, re-
rumq; sceptra ac clavum tenent. Hi quantum
judicare possum, ita cum fructu in Historiis
tum legendis, rām per Locos Communis digi-
rendis occupabuntur, si ante omnia disciplina
Politica Systema dextrum habeant, in quo exa-
cta quadam ac regulata Methodo precepta
& Regulae Politicae disponantur. Hujus deinde
Systematis sive Methodi Politicae summa capi-
ta excerptant, & uno vel duobus Voluminibus
consignent, endem planè ordine, quo precepta
ipsa in disciplina ante tradebantur: Ita quic-
quid in Historiis Politicum legent, administrula-
tius Methodi facile discernent ab exemplis
aliorum disciplinarum, nempe Theologicis, Ju-
ridicis, Medicis, Ethicis, Oeconomicis, Physicis,
hæc enim omnia tota disciplinarum diversarum
exempla in unica narratione historica sèpissi-
mè conjunguntur. Quod quis pleriq; non satis
animadvertisit, aut distinguunt, atque adeò id
agunt, ut quicquid ullibi in Historiis legunt, id
omne sine discrimine ad unam aliquod genus
Locorum Communium referant, dici non po-
test, quam sese macterent inaniter, quam judi-
cium simul suum ac memoriam confundant, &

S. 176.

Sisy.

Sisyphi illud inutile saxum volvant miseri, se revolvent. Secus accidet ei, qui disciplinæ Politicæ certâ ac dexterâ Methodo constituta ad Locos Historicos colligendos accingitur: Nam qui Methodum novit cuiusq; doctrinæ, is formam novit; qui hanc novit, jam dilucide jucicare potest, quid sit cuiusque disciplinæ proprium, quid alienum: forma enim suum cuiq; tribuit, ut distinctionis mater, sic inimica confusionis. At verò, quæ in ista accurata & regulata Prudentiæ Politicæ Methodus, id verò hujus loci non est expondere; potest ea non diffusulerit constitui ex divino Aristotelis Politicorum opere, quod suo loco & tempore, volente Deo, Auditoribus nostris pro offici ratione declarabimus.

Nunc id intelligo mihi superesse, ut consilium illud expendam, quod de locis Historicorum recte instituendis Clariss. autor *Johannes Bodinus* habet 3. cap. Methodi Historicæ; quod sane opus doctorum omnium judicio exsumum est, planeq; dignum eo viro, in quo rara ista corpora fuit exacti perspicuisse iudicij, & memoria penitus fidelis, sibiique in tanta rerum & auctorum, quos citat, varietate plerumq; constans. Sed ut nihil in rebus humanis per omnia purum est, & integrum, ita & hic natus repertas non paucos acriori aliqua animadversione

cauti-

castigandos, non à me quidem, sed à tali aliquo
viro, qui judicia & ingenio aut par sit Bodino,
aut certè non multè inferior. Ut enim de ex-
cellentis pictoris artificio idoneè judicare non
potest, nisi qui & ipse in ea arte excellat, ita &
de sapientis ingenii operibus judicium ferro
non debet, nisi sapiens. Quia tu tamen, vir Amplissime, id à me instanter requiris, cui ut denegare ob autoritatem nihil debeo, ita per obser-
vantiam non possum, dicam sane, quod sentio,
ea judicij libertate usus, quæ & decet professio-
nem meam, & quā scio te per naturam amare.

Ceterum Bodinus post multam & variam Actionum humanarum distributionem sui de Communib[us] Historiarom locis instituendis consilii summam complectitur, atque ita odi-
ne precipit, primo quidem, ut tribus omnino libris Loci communes distinguantur; quorum priori humana, altero naturales, tertio divina historia consi-
gnentur. At verò quam iste vastus & grandis, &
ad quotidianum usum intra etabilis liber futu-
rus est, quo uno omnes rerum humanarum ti-
tuli, & sub titulis historiæ describentur? Non
existimariam sane autorem id, quod aliis par
consilii suis rerum humanarum communib[us]
locis securum esse, ut istos titulos tam multos
tamque latè patentes uno volumine conscribe-
ret. Et sit ita sane, cōsuaturali quod tam ponde-
rosum

rosuta & grande titulorum Volumen, quis quo-
lo futurus est ejus fructus? quæ forma atque spe-
cies: Disponi in eo Volumine titulos vult Bo-
dinus, secundum tria actionum humanarum
genera; quorum primum sit earum, sine quibus
planè vivi non potest, alterum, sine quibus eom-
modo non potest, tertium denique, sine quibus
nec splendide, nec jucundè vivitur. Suppartitur
deinceps tria ista actionum genera in suas spe-
cies, & speciebus addit actionum tum Subjecta,
tum Objecta, & Effects; ingeniosè quidem &
acutè, sed parum, si quid judicare possum, fru-
tuosè, & ad dextræ instituti finem accommo-
date, ut si quis eam delineationē in consignan-
dis Communib. rerum humanarum locis sequi-
velit, is necessario tum imperfectos & mutilos,
& ista mutilatione deformiter confusos ac per-
turbatos Locos sit habiturus. His, inquit Bo-
dinus, generibus actiones humanæ continen-
tur, si quæ restant, ad ea referri facile possunt.
Non difficitur, quod multa restent, sed ea purat
ad ista tria actionum genera referri posse. At
verò cum decem sint distincta ac diversa rerum
genera, Substantiæ videlicet Quantitates, Qua-
litates, Actiones, Passiones, Relationes, Quan-
do, Ubi, Situs & Habitus; impossibile est novem
genera contineri unico illo, quod ordine quar-
tum est: Et si forte novem rerum humanarum
gene-

genera ad unum illud actionis violenter trahantur, ingens inde sanè rerum omnium confusio & perturbatio sequetur non minus ac si quis ligna in penum, quod Proverbio dicitur, sagat inculcare. Neque enim ulla est Methodus, ullus ordo verus ac dexter, quo omnis actionum humanarum genera possint disponi, & necessariò in ejusmodi communibus Locis disciplinæ liberales inter se se, & liberales cum illiberalibus, & denique ipsæ etiam illiberales ac manuariae artes inter se se miserè permiscebuntur, nulla erit certa & distincta ac plena materiarum in vllâ humanâ disciplinâ & arte Methodus, ponetur modo titulus Politicus, sequitur deinde Ethicus, Ethicum excipiet aliquis mechanicus aut manuariae artis. Que sane disciplinarum & artium omnium humanarum adeoq; etiam rerum & materiarum confusio, & judicio simul ac memorie vehementer obest, atqua adeo à Locorum communium instituto & fine penitus est aliena. Neque vero disciplinarum tantum distinctio & Methodous ista delineatione violatur, sed & is ipse ordo non servatur, quem sibi peculiarum B O D I N U S prescriperat secundum tria actionum humanarum genera; inter quæ cum primum esse dixerat id, quo continentur actiones, sine quibus planè viui non potest, ipse primo statim loco colle-

collocat titulum de Nobilitate, sine qua sane
vivi potest, & vivi etiam commode. Sequun-
tur deinceps tituli de vita & Morte, de Gloria
& Infamia, de Corporis forma, & ejusmodi
alii, qui ad tria ista actionum humanarum ge-
nera violenter admodum reducuntur: Metho-
dus autem & ordo ea tantum amplectitur, quæ
cuique rei naturalia, atque expedita & propria
sunt, violentum omne, & asperum, ac tortuo-
sum repudiat. Atque hoc erat consilium de pri-
mo Volumine Locorum Communium, quo re-
rum humanarum titulos jubet Bodinus com-
prehendere: Libro secundo Rerum naturalium
historias vult comprehendendi: Quod quidem con-
silium de Locis Communibus Physicis multo
est & dexterius, & fructuosius, optarimq; idem
judicium in humanarum, quas vocat rerum
Locis instituendis adhibuisse vir magnus, &
disciplinas distinxisse, & cuius arti suas ma-
terias Methodice assignasset. Quamvis & hoc
ipsum de Naturalis Historia locis consilium,
confusionis expers penitus non sit, propterea
quod Loci Physici cum Astronomicis & Geo-
graphicis confundantur; cum tamen iste sine
Scientiæ à se invicem ita distinctæ, ut quælibet
suos habeat limites, suosque terminos ac Me-
thodum peculiarem, Addit mox consilium de
libro tertio, cui rerum divinarum locos attri-

I buit,

buit, in quo quidem id desidero, quod dextram
 Theologiz Methodum non describit, & quod
 primum in his locum tribuat menti humanae;
 perinde ac si ab hominis anima Theologia or-
 dienda, aut materia ista de anima Theologiz sit
 propria, quam tamē Bodinus animam diserte
 vocat rerum naturalium culmen; quod si ita est,
 ad secundum yisque, non tertium librum circu-
 lus iste pertinebit. Atque hæc quidem est ea,
 quam Iohannes Bodinus prescribit Locorum
 Historicorum instituendorum ratio ac via,
 quā in ille deinceps ab Historiarum studio ita
 teneri vult, ut Locis Historici revocentur ad tria
 ista, quæ primo omnium designarant, generalis-
 sima Politie Prudentia capita, Consilium, Di-
 ctum, Factum. His loqui inquit, in capite cujus-
 que libri hoc ordine, aut ut cuique commodius
 videbitur, contributis, consequens erit, ut quic-
 quid in historiarum lectione memoratu dignum
 occurret, suo loco inseramus, & in margine li-
 bri rerum humanarum notas adjiciamus, Con-
 siliorum, Dictorum & Factorum (sic enim res
 ipsæ ad actiones commodissimè referentur) id-
 que literis maioribus. Deinde videndum erit,
 quid in singulis honestum, turpe, aut adiapho-
 rum sit, & eo modo notandum, c. h. i. e. Con-
 silium Honestum, c. r. v. Consilium turpo vtile.
 Consilium autem dictorum & factorum fun-
 damen-

damentum quoddam est, &c. Suadet ergo Bodinus, primo, ut integræ historia describantur in Locis Communes, eo ordine, quem ante delinearat, vel prout euique commodius videbitur; quod quidem posterius dum addit, videtur sanè diffidere suo de adornandis Locis Communibus consilio, quasi videlicet aut incertum hoc sit, & in constans, aut tale, quo rectius aliquid & dexterius possit ab aliis inveniri. Quod verò præcipit, Historias memoratu dignas isto Locorum Communium libro transcribendas esse, id sanè aut breuiter & magno quodom compendio faciendum fuerit, aut sanè grauis & per molestus iste labor futurus est, imo & inutilis apud eos, qui vel mediocri quadam historica Bibliotheca sunt instructi; quibus id potius consuluerim, ut in Locos Communes brevibus quibusdam notis summam tantum historiarum confignent, annotato autore ejusque libro, & capite, & pagina. Quod si verò vel rarus sis autor, quem habere non facile possis, vel ita carus, ve emere non valeas, tum demum integræ historia, retentis exactè autoris propter fidem & authoritatem verbis, fuerit in Locos Communes describenda. Suadet deinceps Bodinus, ut in margine ejus libri, qui Locos Communes continet, sic enim ejus verba intelligo, *notas adjiciamus Consiliorum, Dicitorum, Fa-*

Etorum, ita quidem, ut honesta à turpibus, &
 adiaphoris siue mediis, & utilia ab inutilibus
 discernantur, per istas majorum literarum ini-
 tialium notas. Quod sanè de notandis, atque
 excepēndis in lectione Historiarum Consilijs
 præceptūm in primis utile est & necessarium ijs,
 qui Rempubl. aliquando sunt gubernaturi: Est
 enim consilium res, ut veteres locuti sunt, plane
 sacra, & talis, in qua omne tum recte instituen-
 da tū feliciter gubernādē Reip. momentū con-
 stitutū est, & ut verissimē Bodin hoc loco scri-
 bit, dictorum & factorum fundamentū. Notan-
 da ergo in primis diligenter & accurate consilia
 sunt in communib[us] Historiarum locis: Sed an
 ista, quam Bodinus præscribit, notandi ratio vi-
 tilis & fructuosa esse possit, id verò est, de quo
 valde dubito; primò enim confusa & perturba-
 ta ea omnis notatio futura est; quia nimirum
 ipsi Loci Communes, ad quorum marginem i-
 stæ consiliorum, dictorum, & factorum nota
 sunt referendæ, plurimum confusionis habent,
 ut paulò ante ostendimus. Deinde ita est ge-
 neralis ista Consilio honesti, turpis, medijs, utilis,
 inutilis, distinctio, ut Politico viro, & boni pu-
 blici consiliario parum videatur profutura: In
 consilio enim inveniendo & promendo neuti-
 quam sufficit communis illa honesti, turpis, utilis
 atq[ue] inutilis notio, sed opus est speciali que-
 dam

dam prudentia, & discreti judicij circumspetione in dispiciendis circumstantiis temporū, personarū, locorum & rerum, ut concludere salutariter possis, & an feciendum sit, & quid sit, & per quos, apud quos, quo loco, quo tempore, per quae adminicula. Quare, si quod meum est in his rebus judicium, ita faciendum existimo, ut primo omnium sis, qui Locos communes Historicos, colligit, discernat res eas, quae in consultationem cadunt, ab iis, quae non cadunt: Neq; enim omnia sub consultationem trahuntur, sunt plurima necessaria, plurima certa & constituta, de quibus nemo deliberat, nisi qui sit à ratione alienus; Quocirca in Physicis, Mathematicis consilia non annotantur: annotantur tamen in ea Theologiae parte, quae est de administranda Ecclesia: In Medicina consultationes sunt de valetudine conservanda & recuperanda: In Jurisprudentia de jure persequendo & obrinendo: Ethicis pauca tractantur consilia, plura in QEconomicis, sed plurima, eaque varia simul & gravissima in Politica disciplina, ad quam Locos Communes Historicos præcipue referendos esse supra diximus.

Notabuntur ergo Consilia eadem planè Methodo, quā Locos Communes adornandos suafimus secundum cujusque disciplinæ distinctè disposita Capita, ita ut sicut res ipse, & ea, quae

de rebus argutè dicta sunt , ita quoq; consilia
Theologica, Juridica, Medica, Ethica, OEcO-
nomica, Politica peculiaribus Locorum Com-
muniū Voluminibus distinguantur, & sub i-
psarum rerum, quæ in consultationem caders
possunt, titulis consilia ipsa scribantur, assigna-
tis ad eam notationem peculiaribus paginis,
aut appiætā ad marginem aliquā descripti con-
siliij notā. Et quia Consilia in Politicis maximè
dominantur, idè Volumen Politicorum loco-
rum consiliis undique repleti debet, eo nimi-
rum ordine, & eadem plane Methodo, qua re-
rum ipsarum Capita in Locis Communibus de-
scripta sunt, e. c. Sub titulo condendarum vr-
bium consilia eorum , qui vrbes condiderunt :
Similiter sub titulo de elîgendo Magistratu, de
compescendis seditionibus, de vectigalibus im-
ponendis , de condendis arcibus, de indicendo
bello, de scribendo milite, & ejusmodi alijs. Ne-
que verò tantum consilia à Politices Studio-
so notanda fuerint, quæ disertis verbis ab Hi-
storio narrantur, sed vrile omnino & salutare
fuerit exercitium ingenij, & judicij Politici, si
ex ipsis Historiarum eventis ingeniosa resolu-
tione facta, ex cogitentur, & inquirantur consi-
lia, unde tales eventus, quales exponuntur, ex-
riterint ; quæ ipsa quoquo consilia in Locis
Communiū notentur , ut si forte similes

genuz

eventus aliquando in Republ. vel optentur, vel
metuantur, similia consilia aut prius possint,
aut caveri. Ita fuit, Vir amplissime, quæ me-
ditatus hoc tempore sum de quæstione gravi
opinor, atq; utili. Vbi quidem, si prolixior fui,
argumenti ipsius amplitudinem fecutus sum, &
ductum ejus autoris, cuius de instituendis Lo-
cis Communibus Historicis confilium altiori
aliquâ indagine nobis fuit tua voluntate vesti-
gandum. Dabam Daniscî è Museo meo, X XII.
Septembr. Anno M DC III.

Amplissimæ dignitatis tuae

Observantiss.

Barthol. Keckermannus.

I 4

Index